



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXII. De sponsalibus, & matrimonio invitis parentibus à filio
contractis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S LXXII.

De sponsalibus, & matrimonio invitis parentibus à filio contractis.

Turrillus nobilis Iuvenis Susannæ amore captus sponsalia cum ea contrahit, inconsultis, & invitis parentibus, qui ut filii matrimonium impediunt, Episcopum rogant, ut Parocho prohibeat, ne tali matrimonio assistat, qua prohibitione ab Episcopo facta, eaque non obstante, Parochus tamen eos matrimonio conjungit.

QUÆR. I. An tale matrimonium validum sit?

QUÆR. II. An filius absque iusta causa iniens matrimonium inconsultis, & invitis parentibus, peccet lethaliter?

QUÆR. III. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum Matrimonia impediunt, & an Excommunicationem incurrant, latam à Trid. in impediunt injustè Matrimonia?

497 **A**D I. Q. Videtur matrimonium contra eam Episcopi prohibitionem contractum non valere. Ratio est. 1. Quia contra superioris prohibitionem licentia inferioris prævalere nec potest, nec debet: ergo ex licentia aliàs sibi concessa non poterit Parochus contra prohibitionem Episcopi tali matrimonio validè assistere. Quod

Confirmatur; quia sicut si ipse

Parochus daret licentiam assistendi privato Sacerdoti ab Episcopo non approbato, & Episcopus eam licentiam revocaret, & hoc non obstante matrimonio assisteret, non valeret matrimonium, sicut si Parochus eam revocaret; potentior est enim revocatio Episcopi tanquam superioris Parochi: ergo idem est, quando contra prohibitionem Episcopi Parochus dat licentiam assistendi, vel ipsemet assistit matrimonio.

Kkk 3

Prob.

Prob. 2. Quia potest Episcopus prohibere Parocho, ne validè absolvat ab aliquo peccato: ergo idem poterit etiam in casu posito; quia sicut Parochus habet à jure, ut possit assistere matrimonio contrahendo, ita etiam habet à jure potestatem absolven- di à peccatis: ergo, si hoc non obstante, potest Episcopus prohibere prius, poterit & posterius. Nihilominus,

408 Dicendum est, tale matrimo-
nium, cui Parochus contra pro-
hibitionem Episcopi assistit, vali-
dum esse. Ita Henriq. l. 11. cap.
3. n. 4. Sanch. de Matrim. l. 3. D.
32. Filliuc. tr. 10. cap. 6. q. 6. n.
215. Reginald. lib. 3. v. 179. Petr.
Ledesm. Gutier. aliique commu-
niter, & ita declarasse Sacram
Congreg. Cardinalium refert cum
aliis Salzedo pract. cap. 73. §. Pri-
mum dubium. Ratio est; quia per
solam simplicem prohibitionem
Episcopi nullatenus censetur sub-
lata potestas Parochi à jure eidem
concessa, ut colligitur ex cap. 2.
de Matrimonio contrahendo contra
interdict. Eccles. Ubi dicitur: *Licet
enim contra interdictum Ecclesie ad
secunda vota transire non debuerit,
non tamen est conveniens, ut ob id
solum Sacramentum conjugii dissolvatur.* Per quem textum Dec. c.
2. de testib. n. 17. & Rota in no-
vissimis, decis. 750. n. 3. docent,
esse speciale in Matrimonio, illud
minimè irritum reddi ex simplici
prohibitione: ergo quamvis Epi-

scopus simpliciter prohibeat, mi-
nimè irritabitur Matrimonium,
saltem nisi decretum irritans ad-
dat. Quod

Conf. Licet per Trident. Sess.
24. c. 7. de matr. prohibitum sit
Parochis, ne assistant vagorum
matrimoniis, nisi præmissa dili-
genti informatione, & petita Epi-
scopi licentia, si tamen iis non
præmissis assistant eorum Matri-
moniiis, valida hæc sunt, ut plu-
ribus probat cit. Sanch. quia ad
essentiam Matrimonii tantum re-
quiritur præsentia Parochi cum
2. testibus; Tridentinum verò ibi
eam diligentiam exigit duntaxat
ad eundem finem pro vagabundis,
ad quem pro indigenis præmitti
petit denuntiationes: quibus tam-
en ommissis valet Matrimonium:
ergo & ommissa ea diligentia, &
licentia. Si ergo non esset irri-
tum Matrimonium, si Parochus
contra eam Concilii prohibitionem
aliquos Matrimonio conjungeret,
à fortiori illud non reddet irritum
simplex Episcopi prohibitio. Dixi
suprà saltem nisi decretum irri-
tans addat; nam si Episcopus non
solum interdiceret Parocho, ne
tali matrimonio assistat, sed
etiam adderet clausulam irritan-
tatem ipso facto tale Matrimo-
nium, si secus factum fuerit, con-
troversum, & dubium est inter
DD. an validum foret tale ma-
rimonium. Resolutio hujus du-
bii pendet ex eo, an Episcopus
vi sui muneris impedimenta Ma-
trimo-

rimonii inducere, & apponere possit? Ubi affirmant alii cum Sanch. l. c. Pontio, Turrian. Villalob. Hurtad. & alii, quos citat, & sequitur Leand. tom. 2. de Sacramen. D. 9. tr. 9. q. 5. Negant alii cum Suarez. de Cens. tom. 5. D. 7. S. 4. Diana tr. 13. R. 23. Coninck D. 30. dub. 1. aliisque.

Hodie tamen (quid quid sit de jure) satis certum est, teste Diana, Episcopos non posse impedimenta Matrimonii constituere, quia potestas apponendi impedimenta jam reservata est Summo Pontifici, uti fatetur ipsemet Leand. cum aliis cit. apud eundem Dian. Unde

Ad argumenta in contrarium allata R. Ad 1. Id verum esse, quando Superior potest, & per suum præceptum intendit annullare actum ab inferiore contra gestum, secus si id non intendat, prout non intendere censetur Episcopus per simplicem suam prohibitionem, ut colligitur ex supra dictis; multa enim prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, C. Ad Apostol. de reg.

Ad Conf. R. N. Consequenter eo ipso quod à Sacerdote privato, habente licentiam assistendi, Episcopus licentiam aufert, manifestè intendit, ut actus contra gestus irritus sit, cum ille omninò maneat persona privata,

nec eam licentiam habeat ex officio, & jure, prout tamen eam habet Parochus ex Officio, & tanquam persona publica, quæ proin per simplex præceptum ab eo non censetur auferri.

Ad 2. R. N. parit. disparitas est, quod cum Episcopus jure permittente possit sibi aliquos casus reservare, etiam respectu Parochorum, eo ipso, quod prohibeat alicujus casus absolutionem cum clausula irritante, censetur in actu exercito illum casum sibi reservare, & limitare in hoc Parochi jurisdictionem. Secus est in casu Matrimonii posito, ubi per simplicem prohibitionem non censetur Episcopus potestatem à jure concessam Parocho auferre, nec ullo jure probatur, posse Episcopum Matrimonium irritum reddere, supposito, quod fiat cum omnibus solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis.

Ad 2. Q. An filius, invitis, & 409 inconsultis parentibus contrahens Matrimonium, delinquat lethali-ter? Affirmativè respondent Sotus 2. d. 18. q. 1. a. 1. fin. Navar. 3. Summ. c. 14. n. 15. Bel-larm. l. 1. de matrim. c. 19. pro-*pos.* 3. Fagund. 1. 4. in Decalog. c. 4. Salon. Lud. Lop. aliique complures cum Molin. D. 176. & To-let. l. 5. c. 1. cum hac limitatione: si nempe filius indignam ducat contra parentis voluntatem.

Ratio-

Rationem dant. 1. Quia per eam inobedientiam infertur injuria parentibus in re gravi, & ob quam jure merito gravissimè illi offenduntur cum amicitiae dissolutione, omnino non, vel non nisi ægerrimè redintegrandam, ut docet experièntia: ergo.

2. Quia parentum cura, munus, ac potestas id postulat, suntque hæc relativa: ego teneor tui curam habere, & tibi circa hoc providere; & tu teneris in hoc mihi obedire, ut colligitur ex D. Paulo ad *Hab.* 13. atqui parentes tenentur sub mortali providere filio de nuptiis, cum non filiorum, & maximè filiarum, sed parentum munus sit, quærere nuptias, & providere filiis, dum suæ curæ, & potestati subiant, ut innuitur, *C. Aliter 30. q. 5. & C. Qualis 30. q. 5.* & multis ex S. Scriptura adductis exemplis probat Bellarm. l. c. ergo tenentur & filii sub mortali obedire, non eligendo matrimonium invititis parentibus absque justa causa; nam si justa subit causa ex parte filii, eum à culpa immunem esse ultrò fatentur omnes, uti si pater indigno Matrimonio collocare velit gratia amplioris dotis, vel si velit filium ducere uxorem ægram, imprudentem, aut talis conditionis, cum qua probabiliter credat filius fore, ut pacem non sit habiturus &c. Sententia

hæc valdè probabilis est. Nihilominus

Præplacet, & probabilior videtur sententia complurium aliorum, qui cum S. Th. 22. q. 104. 4. 5. in corp. Sanch. l. 4. de *Matrim. D. 23.* Menoch, *conf.* 69. Abb. c. 1. n. 6. de *spons. impub.* Covar. 4. *decret.* 2. p. c. 3. §. 8. Laym. l. 5. tr. 10. c. 1. docent, teneri filium sub culpa gravi consilium parentum circa matrimonium exquirere, eosque consulere, eorum tamen consilium sequi, non fore obligatum, sed licitè posse, iis invititis, priùs tamen consultis, inire Matrimonium, quod volunt. Ratio prioris partis elucet ex rationibus prioris sententiæ; quia parentum cura, ac potestas postulat, ut sine eorum consilio nihil Statuatur in re tanti momenti, à qua totum vitæ institutum pendet, ipsaque perpetuitatis ratio, & onera Matrimonii maturum in nuptiis celebrandis consilium exposcunt, quod parentes filiorum collocandorum curam, & obligationem habentes meliùs, utiliùsque dare possunt, & aliqua fortè aperire, ob quæ licitum sit filio decepto sponsalia dissolvere, vel si illis astrictus non sit, mutare voluntatem &c.

Ratio posterioris partis est. 1. Quia in iis, quæ ad electionem Statûs,

statùs, ad proprii corporis sustentationem, & ad filiorum generationem spectant, omnes homines sunt pares, nec filii in iis subijciuntur parentibus, ut advertit S. Th. l. c. ergo in iis non tenentur sequi consilium, & voluntatem parentum. Quod

Conf. quia recta ratio postulat, ut homo in matrimonio contrahendo, ubi perpetuè se obligat servituti & onus gravissimum subit, omninò liber sit, & à nullius alterius voluntate pendeat. Id, quod colligitur ex *C. veniens; de spons. cum vivum de regular.* ubi; quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem.

Prob. 2. Quia nemo obligatur ad id, quod est peccaminosum, & culpabile: sed filius promittens clam puellæ Matrimonium tenetur sub gravi obligatione ad implendâ factam, & acceptatam promissionem, nec inter causas dissolvendi sponsalia numeratur resistantia parentum, nisi quando gravissima suborirentur scandala, aliâque gravia mala: ergo inire matrimonium absque consensu parentum non est culpabile, & peccaminosum, hoc ipso, quòd promittens datam sponsaliorum fidem servare teneatur, tametsi sponsæ imparis conditionis promississet. Unde

Ad argumenta prioris sententiæ responderi potest, ad 1. esse qui-

R, P. Leonardelli Soc. Jesu.

dem gravem injuriam, quando filius inconsulto patre Matrimonium contrahit; secus si ea de re patrem consulat, quamvis dein pater non consentiat in tale Matrimonium, eoque non consentiente, Matrimonium tamen contrahat, tunc enim nulli irrogat injuriam, hoc ipso, quòd in hoc sit sui juris, utaturque jure sibi concessio.

Ad 2. R. curam, & munus parentum, postulare, ut hi à filiis hac de re consulantur, esseque valdè honestum, & decens sequi etiam consensum parentum, non tamen esse præceptum, & obligationem in filiis, utpote qui in hoc sunt sui juris, & parentibus non subijciuntur.

Ad 3. Q. Quomodo, & quando peccent parentes filiorum Matrimonia impediens? Suppono tanquam fide certum, Matrimonium in ius à filiis absque parentum consensu validum esse, nec posse annullari, ut constat ex Trident. *Sess. 24. c. 1. de Matrim.* Nec posse Liberos à parentibus cogi ad contrahendum Matrimonium, neque ab eo contrahendo impediri, ut tenet unanimis DD. sententia cum S. Th. *4. d. 29. unic. a. 4.* & sumitur ex *citt. c. veniens, c. cum virum, & c. sufficiat, 27. q. 1.* quia cum in Matrimonio sit quasi servitus quædam perpetua; homo verò sit liberæ conditionis, ideò nequit à patre ad servitutem hanc compelli.

LII

li.

li. Unde Leges Civiles, quæ ad filiæ Matrimonium patris consensum tanquam necessarium exigunt, vel tantum ad honestatem sunt referendæ, vel certè correctæ sunt à jure Canonico, ut notat Covar. in epit. p. 2. c. 3. §. 8. & patet ex citt. Tridentino. His præmissis

412 R. 1. peccant parentes absque justa causa impediens filiorum Matrimonia; quia filius est sui juris circa statum electionem; & quidem lethaliter, si filium à Matrimonio contrahendo, quod promissit, impediunt, ut notat Laym. l. c. quia cum talis promittens ad implendam promissionem gravi obligatione teneatur, & in omni foro compelli soleat, sicut testatur Ecclesiæ praxis, & ex communi docet Molina tom. 2. D. 271. inde sequitur, patrem mortaliter peccare, si filium impedire, vel ei dissuadere conetur id, ad quod ipse sub peccato mortali obligatur.

R. 2. si filius nondum se Matrimonio obstrinxit, adeoque non teneatur ratione fidei præstitæ, non peccat pater, si mediis suavibus absque vi, & metu Matrimonium ex justa causa v. g. quia est indignum, impediatur, ut probat cum aliis Sanch. l. c. quia hoc non est cogere ad Matrimonium, hoc ipso,

quod metus gravis non inferatur, nec filius impediatur, quin aliud Matrimonium dignum contrahat.

Dixi supra absque justa causa; nam si ex Matrimonio, quod filius inire cogitat, ob disparitatem sponforum, aliove ex capite timeantur gravia scandala, dedecus familiæ, discordiæ &c. Parentes tale Matrimonium, tanquam charitati, & pietati repugnans, impedire tunc possunt, ac debent, ut notant citt. DD. implorata etiam illius Judicis auctoritate, ad quem pertinet similia mala, & scandala impedire.

Ad secundum Q. membrum, 413 censent non nulli parentes injustè impediens filiorum Matrimonia, incurrere Excommunicationem latam à Trident. l. c. c. 9. contra injustè impediens Matrimonia, quia Concilium generaliter loquitur. Sed oppositum tenet communis DD. apud Sanch. D. 22. quia decretum illud loquitur ibi de Dominis temporalibus, & magistratibus, & aliis jurisdictionem in foro externo habentibus, ut constat ex præfatione; ergo non debet pœna ibi statutata extendi ad alias personas ibi non numeratas, juxta l.

Interpret. ff. de pœnis.